

sacerorumq. scriptorum : cùm totum illud sit à Sole, sic efformatū. quod ergo Tel. concedit, hic homo assumit probandum. cùm uero ait, non sapere ueritatem, uerum est apud inscios, minus speculantes ; sed minus sapit ueritatem, cœlum qui apparet cálidum, igneum q. alterius ponere naturæ, ac sine materia, ut Peripat. effingunt, & hoc apud Platonicos, & antiquos Philosophos, non solum Tel. acerrimè id reprobantem, dicit, calorem omnia disgregare, quod est contra Arist. suum in 2. de gener. t. 8. Dicit postea, cœlum stare, non posse, si materia sit disgregata. hic nō considerat, quòd dicit Arist. in primo de cœl. extra cœlum nec locum, nec tempus, nec uacuum esse : posuit enim mundo summus opifex terminum. Benè uerum est, calorem disgregare, sed non in infinitum, cùm eam fecerit materiam tenuissimam, cum ea usque ad superiora aduolat, si minùs, quam tenuissimas inferiores ex ea cœli partes conficiet, & scilicet entia iuxta alias dispositiones. Cæterum quandò calor congregare uidetur, non subiliare, sed condensare, hoc facit per accidēs, ut habet Tel. in primo mai. cap. 7. ubi inquit. Propterea ea densat calor, quòd inexistentem tenuitatem summā facit, egressumq. quo elabatur, ei spectat, & prius id, quam circumfusam crassitudinem emolliat: itaque per se hęc facta, & uniuersa, dum elabentem, effugientem q. illam, ueluti sectatur, in se ipsam compaet, & a densius, durius q. concrescit in ens, qualis nimis tui natura est, talis apparet, non s. præexistentem mollitiem compingit, & in crassitudinem agit calor, qui tenuorem facit, & sumum agit, uaporesq. sed præexistentem crassitudinem detegit, & in unum agit, fluoribus, moliticęq. quibus commixta latebat, spolians. siq. inde poterit, diu maximè agere, ueluti mollier, & occupabit.

Præterea. Si sic à calore, frigore retardante, producuntur diuersa entia, tunc non essent contraria, quia non semper agerent, & paterentur, quia quando calor uincit, frigus est uictum, quo superato, essemus æterni. quando autem morimur, frigus superaret calorem, tanto igitur tempore ager, & tanto non. Cur nunc morimur, & non prius ? Curq. sic vi-
cum frigus, & minoris actiuitatis calorem uincit, in folio suo residentem? et n̄ aliqua aula, ubi frigus absconditur; unde exeat?

Dùm uult probare, quòd hęc non sunt contraria, propriam uocem ignorat, argumentatur enim contra Arist. etiam : cui in primis hęc posita sunt contraria, & id quod addit. essemus æterni reflectitur in Arist. qui in libro de long. & breui. uitę, inquit, tandem animal uiuere, quādiu qualitates actiue dominantur passiuis, ut bene Auer. in Paraphrasi; cū ergo in iuuentute actiue dominantur passiui, igitur sumus, æterni per hanc rationem, & quandò morimur dominantur passiua; cur sic ? & cur nunc morimur, & nunc non ? eur passiua uincit actiucas in proprio folio regnantes ? & nunquid est aliqua aula, ubi abscondebantur passiua ? hic Martha non potest respondere, licet bene alij Peripat.

R.